



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

62. An Clerici modo supra, licite bello assiste[n]tes spolia adversarioru[m]
accipere, & retinere possint? Ex p. 6. t. 4. r. 37.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

Christianæ multum pendet. Ordinariè autem talis necessitas in bello præsertim offensivo non occurrit; cum plerumque Milites Laici adhiberi possint. Ita Maldertus in 2.2. q. 40. art. 2. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 108. Becanus cap. 25. q. 25. conclus. 3. Layman lib. 2. tract. 3. c. 12. n. 19. Castrus Palaus tom. 1. tr. 6. disp. 5. punct. 6. num. 7. Et in his casibus Clericos pugnantés & occidendes non esse irregulares tradit Hurt. de Mend. vol. 2. disp. 109. sect. 2. §. 139.

Sup. hoc in tom. 5. tr. 5. Ref. 93. §. 2. & in Ref. 95. & in §. 1. not. præsumptam ad lra. 12.

RESOL. LXI.

An Clerici sine Superioris licentia; & Episcopus sine licentia Pontificis Summi in aliquo casu possint bello interesse, absque peccato?

Et an Religiosi subditi possint se conferre ad Exercitum sine venia saltem tacita sui Superioris, quia in omnibus ab eius voluntate pendet? Ex part. 6. tract. 4. Ref. 36.

Sup. conten. to in hac Ref. si que ad §. vlt. supra in Ref. 58. §. 1. per totum.

Sup. hoc ibidem.

§. 1. **R**espondeo Clericos posse bello interesse, vt subsidia spiritualia ministrant, milites confortant, & ad pugnam excitant: modò non excitent specialiter & expressè ad occisionem & mutilationem inimicorum, quia hæc officia non sunt aliena à Clericorum statu. Et Innocentius in c. dubiis, de pœnis, prohibens Sacerdotibus ne ad pugnam incitent, intelligendus est de bello iniusto. Et ita præter Layman ubi supra docet Castrus Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 6. num. 5.

2. Verùm difficultas est. An in his casibus possint Clerici bello interesse sine licentia Episcopi & hic sine licentia Summi Pontificis: Et affirmatiuam sententiam apertè inuauat D. Thomas in 2.2. q. 40. art. 2. ad 2. & probari potest ex c. reprehensibile, & cap. quo casu 23. q. 8.

3. Sed ego puto cum Coninch disp. 31. de bello dub. 6. num. 90. Castrus Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 6. num. 6. posse supradictos in supradictis casibus bello interesse sine licentia Episcopi, vel Pontificis: nam in citato cap. reprehensibile, reprehenduntur Episcopi, non quia ad bellum ob consolandos milites, eosque ad pugnam hortandos sine licentia profecti fuerint: sed quia ibi sicut reliqui milites pugnaverint, & quia hac occasione impediti non venerint ad Consilium, quod Summus Pontifex Romæ congregauit. Text. verò in cap. quo casu, non de perfectione ad bellum; sed ad Imperatoris Aulam loquitur, & grauitè reprehenditur à Pontifice Episcopus, qui eius mandatum contemnit ob Imperatoris iussa exequenda: præcipuè cum Canones euidenter præcipiant nullum omninò Episcoporum, qui Leuitica portione sunt contenti, nisi Summo Pontifice viso atque consulto, ad Comitatum, hoc est, ad Imperialem Aulam debere contendere.

4. Nota tamen Lorcam in 2.2. q. 40. art. 1. sect. 3. disp. 51. num. 18. asserere de iure communi hanc facultatem requiri, sed contrario vsu hos Canones fuisse abrogatos.

5. Verum ego stando in prima opinione, puto tamen Religiosos subditi non posse conferre se ad exercitum, sine venia saltem tacita sui Superioris; quia in omnibus ab huius voluntate pendet. Et etiam si esset vera opinio, quòd Clerici non possint bello interesse sine superioris licentia: putat adhuc Lorca ubi supra & alij, sufficere virtualem & præsumptam; præsumptus verò consensus, ait Molina tom. 1. tr. 2. disp. 180. intelligi potest, quando acceditur sine detrimento proprium ouium, simulque acceditur, vel ad subueniendum proximis in spiritualibus, quia præsentia Ecclesiasticorum, qui accedunt, confert non parum ad

Quoad hoc supra in Ref. 59. lege doctrinã §. Sed quid & signanter §. Verum citat.

defensionem Ecclesiæ, proprium ouium, vel boni communis, vel ad illius notabile augmentum. Eoque plus locum habet præsumptus consensus superioris, quando cum nihil occurrat vnde contrarium sit credendum, non est facilis ad eum accessus, vt Prælatorum ad Summum Pontificem. Præsumptus verò consensus in te proposita pro expresse haberi debet, præsertim cum ex præsentia & adiutorio in bello iusto nulla incurratur irregularitas.

RESOL. LXII.

An Clerici modo, quo supra, licite bello assistentes, præsentia aduersariorum accipere, & retinere possint? Ex part. 6. tr. 4. Ref. 37.

§. 1. **A**d hunc casum respondet Molina de iust. tit. 1. tom. 1. tract. 2. disp. 180. hoc pendere ex expressa, vel tacita Ducis, aut Principis exercitus voluntate: & quando aliud non constat, præsumendum eam esse, vt quod dissipuerint, suum id efficiant Clerici, non secus ac si essent milites. Sunt enim viles exercitui, imò & pars exercitus, non minus quam milites, atque adeò gaudere debent commodis belli, sicut milites: præsertim cum aduersarij non minus Clericos sint hostes, quam aliorum, qui in exercitu pugnant. Quando autem constaret contrarium esse Ducis voluntatem, illi restitutio eorum bonorum esset facienda cui Princeps, aut Dux velleret. Et hæc omnia etiam docet Layman lib. 2. tract. 3. cap. 12. n. 10.

RESOL. LXIII.

An Clerici assistentes bello sine licentia Pontificis teneantur restituere prædam captam, vel relictam, quod nocumentum inferunt? Ex part. 6. tract. 4. Ref. 40.

§. 1. **A**d hoc dubium ita respondet Petrus Lorca in 2.2. Dini Thomæ, sect. 3. disput. 5. q. 7. Dubium est, vtrum Clerici assistentes in bello iusto sine licentia Pontificis, & etiam contra prohibitionem Ecclesiæ præstantes, teneantur restituere, si quid de spoliis accipiunt; vel relinere, quod nocumentum inferunt. Gabriel art. 3. dub. 4. Angelus verb. Bellum, Syluester verb. Bellum 1. quest. 9. conclusio 2. & 3. quest. 4. obligant eos ad restitutionem. Sed meo iudicio decipiuntur, quoniam Clerici ita bellantes non agunt contra iustitiam, sed contra obedientiam Ecclesiæ, & decentiam status; & ideo non peccant, quatenus nocumenta inferunt, neque restituere debent. Ita Lorca, cui etiam ego libenter adhaereo.

RESOL. LXIV.

An post victoriam Clerici inuenti in Exercitu hostium possint impune occidi, vel spoliari? Et notatur, quod si bellum iniustum esset contra Prælatum Ecclesiasticum, possint Clerici etiam post partem victoriam spoliari.

Et quod in quocumque bello, dum Clerici pugnant, possint occidi, & spoliari. Ex part. 7. tr. 9. & Misc. 4. Ref. 9.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Caramel in Theol. moral. lib. 2. disput. 2. artic. 1. n. 340. ubi sic ait: Pugnantibus duobus Christianorum exercitibus cohortes aliquot captæ, & in illis Ecclesiasticis